facilè autem est intelligere quid significent, & quid sint uoces hæ animalium, cùm in nobismetipsis hæc experiamur. Videntur autem homines iracundiæ uoce carere: non enim habent ut reliqua animantia, quòd homo inter cætera animalia fera, minus sæuiat: adeò uerò iracundiæ uox animalibus est familiaris, ut certantes columbi atq; cuniculi eam edant. Fieri soli homines habent, estq; fremitus quidam. Anates frequenti illa uoce utuntur, quod etiam ab affectu quasi titillationem patiantur. Voces igitur in auibus, affectionum illarum notæ sunt.

Itaq; nihil mirum, si ex earum uocibus auspicium sumebatur. Dolētis enim, aut lætātis, aut esurientis, aut in amorem pronæ, uel lasciuientis affectum, & sortem cum affectu ostendebant. Atq; cùm ea natura auis considerabatur, mores, tum conuictus: quanquam quod ad uoces attinet, ne hi tantæ fuêre solertiæ aut diligentiæ, ut hoc animaduerterent, tātus stupor in inuentoribus, tam rudes qui fallere plebem solent. Cùm inconstantia & uanitas artis nota sint, aut pactum cum cacodæmone. Maximum uerò post auis naturam, moresq; fuit numerus & regio unde auolarent, & ubi residerent, nostri habita ratione.

ARVSPICIA.
CAP. LXXXIII.

Victima sine corde quid significet?

MAIVS testimonium artis præbuit Spurina, qui cùm sacrificasset, non inuento corde uictimæ, Cæsari respondit, imminere periculum mortis, quod non ultra Idus Martias produceretur. Hanc historiam confirmant etiam uerba Cæsaris apud Suetoniū: Nec

pro

pro ostento (inquit) ducendum, si pecudi cor desit: futura omnia lætiora cùm uellet. Et ipsis Idibus Spurinæ irridens dixit, Idus iam uenere. Quasi diceret, & tamen sospes sum. Maius etiam à Ciceronis autoritate argumentum habetur, qui eo tempore & præsens affuit. Et ne sperem elegantius dicere posse, suis uerbis ascribam: Maximo est argumento quod paulò ante Cæsaris mortem contigit: qui cùm immolaret eo die quo primum in aurea sella sedit, & cum purpurea ueste processit, in extis bouis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal quod sanguinẽ habeat, sine corde esse posse? Qua ille rei nouitate perculsus, cùm Spurina diceret timendum esse, ne & cõsilium, & uita deficeret, earum enim rerum utrumq; à corde proficisci: postero die caput in iecore non fuit. Quæ quidem illi portendebantur à diis immortalibus, ut uideret interitum, non ut caueret. Cũ igitur eæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus uictima illa uiuere nequisset: intelligendum est in ipso immolationis tempore, eas partes quæ absint, interijsse. Hæc in primo de Diuinatione. Vide quid habeat in secundo quod respondeat? Quî fit, ut alterum intelligas, sine corde non potuisse bouem uiuere: alterum non uideas, cor non potuisse subitò nescio quò auolare? Ego enim possum uel nescire quæ uis sit cordis ad uiuendum, uel suspicari contactũ aliquo morbo bouis exile, & exiguum, & uietum cor, & dissimile cordis fuisse. Itaq; defensio hæc tam tenuis est, ut eam probatio uideatur.

Iecur cũ duplici tunica quid.

Simile quippiam Iuliano Imperatori contigit: Apruncu lo enim oratore Gallo aruspice, qui postea Narbonæ præfuit, inspectante atq; etiam ostendente, iecur uictimæ cum duabus tunicis ipsi Iuliano, maximè de futuro euentu solicito, Constantium Imperatorem à quo nuper per scelus de-

fecerat, mortuum esse. Nam iecoris caput Imperatorem significabat, ut qui orbem uelut iecur sustineat ac mutet. Tunica illa ostendebat iam oppressum & inutilem quasi uinculis impositis factũ, quales mortui sunt: cùm uerò hæc iure significent, quæritur multò iustius quônam pacto hæc euenant?

Quomodo uictima absque corde.

Itaq; illud statuendum, aut cogi nos dæmonas fateri, atq; ita ars hæc improbissima erit: aut quod tutius, in initio cuiusque Imperij ac regni consentientibus causis, conuenire prodigia euentibus. Vt sic naturalis prorsus sit diuinatio. Orta erat uictima cum oblæso corde, uel etiam loco suo emoto: nam & hominibus quibusdam ad tempus cor in dextra parte nos pulsare uidimus: quorum alter statim perijt, alter adhuc uiuit. Verùm cùm in tam graui causa uerisimile sit, cor Spurinam quæsisse diligentissimè, dæmonũ præstigias fateri tum ob hoc, tum ob multa alia quispiam melius existimabit. De quo inferius dicendum.

SONI AC VOCES QVÆ SVNT PRAETER NATVRAM. CAP. LXXXIIII.

Soni auditi ab autore, mira historia.

QVOD faciliùs sit sonos audire qui non sint, quàm imagines uidere, docebat Horatius, dicens: Segnius irritant animos immissa per aures, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Cuius causam sequenti capite ostendam. Verùm quæ mihi quandoque contigerunt, enarrare operæprecium esse duxi. Studebam Papiæ, anno (ni fallor) M. D. XXII. cùm surgente aurora dormiens,